



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens**

Soliloquium Animae. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

XVII. De custodia conscientiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)



vestitus, & purpura filii regis insignitus, cum qua meretur ad Regis æterni nuptias introire.

Panni seu  
insignia  
Christi.

Panni Jesu sunt humilitas cordis, paupertas in necessariis, patientia in adversis, perseverantia in virtutibus.

Qui virgam Dei pro munere accipit, salutem animæ ex verberare reportat, & coronam amplioris gloriæ in cælo recipiet.

*Psal. 40.*

*Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem* Jesum, pro nobis nudum & inopem factum, cum esset ditissimus omnium, & sequitur eum sapienter, ferendo crucem suam in quotidianis laboribus, pro salute animæ suæ usque ad mortem.

CAP. XVII. *De custodia conscientia, in omni loco & tempore.*

*Psal. 118.*

**A** *Nima mea in manibus meis semper.*

Nihil utilius & salubrius cupienti ad vitam æternam pervenire, quàm semper cogitare de animæ suæ salute.

Lege



Lege & percurre omnia, non est salus animæ, nisi in Deo & in bona vita. Hinc ait Dominus & redemptor animarum discipulis suis: *Quid prodest homini, si mundū uniuersum lucretur, anima uerò sua detrimētum patiatur?*

Matt. 16.

Qui istud frequenter cogitat, & magis de animæ suæ salute curam gerit, quàm de temporali lucro, vel corporali cibo; hic vere sapiens negotiator est, quia æterna & spiritualia omnibus perituris præponit & quærit.

Animæ cura nihil potius.

Iste est unus de bonis & fidelibus Christi seruis, qui de duobus talentis, quatuor; & de quinque, decem facit: & unum non abscondit in terra; nec secludit; nec à se projicit; nec contemnit; sed paup. ri potius tribuit, ut pro se oret; aut ad altare Deo offert, regratiando ipsi etiā pro minimo dono, quod accepit.

Matt. 25.

Dona Dei ad lucrū animæ referenda.

Beatus seruus super pauca fidelis & prudens, qui omnia tempora sua utiliter expendit, & de extraneis rebus ad se non pertinentibus tacet; sed tanquā surdus & mutus propter Deum factus,



pacifice tumultus seculi pertran-  
sit, et animam suam ante se in  
manibus suis semper portat.

**Aliena  
non cu-  
randa.**

Noli ergo de statu aliorum  
curiose quærere, nisi quantum  
charitas Dei et fraterna com-  
passio exigit.

2. Noli laudes hominum ap-  
petere, quæ vanæ sunt; nec vitu-  
peria expavescere, quæ non ob-  
sunt; sed animam purgant et hu-  
miliant, et in cælo alte coronant.

Nemo dignus est à Deo subli-  
mari, nisi qui scit pro Deo vitu-  
peria pati.

Sicut enim, tu Domine Deus,  
passus es pro me; ita et ego debeo  
pati pro te, et te sequi pro posse.

Tu enim sancto Petro dixisti:  
*Sequere me.*

*Ioan. 21.  
Infirmitas  
humana  
in exe-  
quendis  
bonis  
proposi-  
tis,*

Sed heu mihi Domine, quia  
tam parum possum pati pro te.  
Sæpè propono, et de decem vix  
unum perficio. Multa sunt verba,  
sed opera pauca. Totum est culpa  
mea, et excusatio nulla. Nam de-  
sidia et negligentia propria au-  
gent peccata mea.

Quid ergo restat ad ista dice-  
re et cogitare, nisi veniam pete-  
re,

re,



re, & orare ? Peccavi Domine,  
miserere mei.

Sic enim omnes Sancti ante te  
fecerunt & docuerunt : & adhuc  
quotidie omnes fideles faciunt.

Omnes Sancti & amici Dei,  
orate pro me, quia infirmus sum,  
& omnibus bonis indigeo, & ab  
omnibus juvari humiliter peto.

3. O sancte sanctorum, Domi-  
ne Deus meus, inclina aurem  
tuam ad precem pauperis servi  
tui. *Adjuva me, & salvus ero,  
& meditabor in justificationi-  
bus tuis semper.*

Oratio  
saluber-  
rima.

O utinam merear unus de pu-  
sillis gregis tui esse in regno,  
quod præparasti humilibus &  
diligentibus te.

diligam ergo te, Domine vir-  
tus mea, ex toto corde meo, sicut  
præcepisti ore sancto tuo. Tu  
spes mea, & salus mea, & totum  
desiderium meum.

Da mihi intellectum clarum,  
contra omnem errorem ; cor  
mundum, contra omnem impu-  
ritatem ; fidem rectam, contra om-  
nem dubitationem ; spem fir-  
mam, contra omnem diffiden-

Qq 3 tiam,



tiam; charitatem ferventem, contra omnem acediam & negligentiam; magnam patientiam, contra omnem turbationem; sanctam meditationem, contra turpem imaginationem; continuam orationem, contra diaboli impugnationem; diligentem attentionem adlectionem, contra frequentem mentis evagationem; bonam occupationem, contra cordis tædium & somolentiam; devotam sacræ passionis tuæ recordationem, contra omnium vitiorum mortificationem. Adesto mihi in his bonis Deus meus, & confirma me in omnibus verbis sanctis tuis. Amen.

CAP. XVIII. *De solitudine & silentio.*

*Psal. 54.*

**E**Cce elongavi fugiens, & mansi in solitudine. Quare? Propter multa bona inde provenientia, & ad cavendum distractiones cordis mei, in multis rebus visis & auditis; quia quæ oculus non videt, nec auris audit, cor non dolet, nec cito turbatur.

Igi-